DE SUPPRESSIONE MENSTRUORUM DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Andrea Caldana

DE
SUPPRESSIONE MENSTRUORUM
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

Ad Lauream Medicam obtinendam

ERUDITORUM EXAMINI OFFEREBAT

Andreas Caldana

VERONENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII

ALLO

AMOROSISSIMO MIO GENITORE

CUI

DEVO OLTRE LA VITA

OGNI BENE

QUESTO MIO PRIMO LAVORO

CONSACRO

At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis

C. VALERII CATULLI Veronensis liber.

DE

SUPPRESSIONE MENSTRUORUM

MORBI DEFINITIO, SYNONIMIA.

Suppressio menstruorum constituit statum illum feminarum in quo, quamvis nec lactantes, nec gravidae sint, tamen sanguinem catamenialem, quem prius emittebant, amplius non emittant.

Graeco vocabulo dicitur *Amenorrhoea*, derivat ab ἀμηνρεω idest non mensis fluo.

Mulieres tamen ad annum quadragesimum circiter perventae catameniis destituuntur; haec suppressio, quamvis a natura ipsa statuta sit, damna considerabilia feminis saepenumero fert; et epocham vitae mulieris periculosissimam esse, omnes medici sciunt, et eam vocarunt climatericam, vel criticam.

Suppressio menstruorum morbus semper non est, sed plerumque caussam praebet morborum procreationi; qui morbi autem multiformis naturae et diuturni crebro sunt.

Aetas climaterica aliquando citius, quandoque tardius supervenit mulieribus, ita ut tempus cessationis menstruorum incertum est, sicut et illud initii.

Caussae quae amenorrhoeam producere valent innumerae fere sunt; aliae enim sunt internae, aliae externae; haec divisio generalis, iterum dividitur et iterum; sed statui aliam methodum amplecti in caussis nonnullis enunciandis, et sequens est.

ÆTIOLOGIA.

Suppressio menstruorum locum habet:

I. In morbis uteri et partium finitimarum.

II. Cum femina aegrotat, aut animus ipsius ab affectibus correptus est.

III. In feminis aliquibus; temperamenti et constitutionis peculiaris caussa.

IV. Sub regimine vitae non naturali et sub tempestatibus adversis.

V. Cum mulier gestans aut lactans est, vel cum ad climatericam aetatem jam pervenerit.

I. Uterus inclinatur aliquando. Hoc fieri potest in quatuor partes; idest ante et retrorsum, et dcorsum; omni in casu impeditur saepe fluxus menstruus.

Metritis, scirrhus, carcinoma, tumores, phlegmon, ulcus, collectio pituitae vel humorum crassorum, polypus, condylomata, rhagades et callositates circa collum, haemorrhoides, mola, paraly-

sia, hydrops et apustema; hae umnes murbosae affectiones suppressionem menstruorum producere pussunt.

Uterus aliquando peccat in conformatione sua, vel partes finitimae ad nurmam non sunt; in utrisque casibus menstrua aut nulla vel parca, sed semper irregulariter fluunt.

Praeter haec vitia ubstructionem babemus, quae fit a medicamentis adstringentibus et exsiccantibus, quibus utuntur eae quae virginitatem, quam nun habent, venditare bacelis volunt....!

II. Feminis valetudinariis menstrua supprimuntur et plerumque etiam convalescentibus desinunt.

Tenues, graciliores, vel contra erassae et pinguiores simili modo menstruis destituuntur aliquando. Aliquae diuturnae affectioues ventriculi et maxime hepatis amenorrhoeam frequenter producunt.

In haemoptysi menstrua silent fere semper.

Epistaxi laborantibus aut diarrhuea, vel profuse sudantibus fluxus meusilis non apparet facili mudo.

Illae autem quae ad venae sectionem frequenter confugiunt crebro et chluruticae evaduut.

Haemorrhoides ad anum saepe fluxum menstruum distrahunt.

Passiones animi quantum et quomodo agant in omnibus individuis umnes sciunt, a quutidiana experientia edocti; sed funestissima actio illarum centuplex fit in femina menstruante.

Cura, moeror, terror amenorrhoeas et chloroses pertinacissimas imo incurabiles produxerunt et producunt fere semper.

Exempli gratia amor elusus maximi moeroris caussa fit, incredibile est quantum imperium exerceat in animum, et quantum inde valeat ad convertendas, quae etiam optimae sunt, vitae functiones in totidem nocivas potentias.

Effectus hujus caussae sunt melancholia; congestiones, infarctus, cephalalgiae, dyspepsiae, vigiliae, vertigines, amenorrhoea incurabilis, saepenumero chlorosis, leucorrhoea, delirium, mania, tabes lenta et mors.

III. Temperamenta quoque multum influunt in hac re. Biliosae ex. gr., propter temperiem corporis calidiorem, lympham absorbent, et sic catamenia difficile fluunt.

Melancholicis etiam propter torporem humorum idem accidit.

Constitutio corporis firmior quam esse deberet caussa fit aliquando hujus effectus.

Sunt enim feminae quae, silentibus menstruis, nullum dolorem accusant nec ullo modo aegrotant imo corpus illarum, virilem adspectum adsumit et barbam ostendunt; in istis certe caussa suppressionis est nimia activitas vasorum absorbentium; hae feminae autem dicuntur viragines.

Albertus Haller sic ait: « Dantur integrae nationes quarum mulieres mensibus destituuntur, id de Scythicis narrant feminis quae maritos

in bello comitantur, vix eas mammas ajunt habere: vix menstrua pati; haec enim superpondium per labores dissipant. »

IV. Vitae genus certe quam maxime influit nam exercitatio nimia, victus tenuis vel otium diuturnum et victus opiparus amenorrhoeam generare queunt.

Saltatrices ex. gr. propter nimium laborem non raro absque menstruis et steriles sunt; usque dum hanc artem exerceant, ista omissa saepe menstrua adparent illis, et etiam concipiunt.

Agrestes a diuturnis et validis exercitiis, et curis affectae nihil aut parum sanguinis per menstrua amittunt.

Exemplum Halleri et hic repetendum esset.

Temperatura aeris frigida nimis et cum siccitate conjuncta, vel calida pariterque sicca haud juvant menstruantibus.

Olearius refert quod in Groenlandia feminae fere omnes mensibus destitutae sint, et quod in septentrione rarissime appareant.

A lapsu in aquam frigidam, aut ab aëre sicco frigido aut alias a mora in eadem aqua vasa uteri coarctantur et menses supprimuntur.

Aër calidus et siccus evaporationi cutis favens et lympham sanguinis adsumit nec menstrua quandoque possunt locum habere.

Tempore biemali subdunt multae feminae carbones incensos vestibus ad frigus arcendum et sic uterus exurit~~ur~~ et menstrua supprimuntur.

V. Gestantibus et lactantibus plerumque men-

strua non fluant, sed compertum est quod etiam illis aliquando non abfuerint.

Hoc accidit absque dubio cum generatur sanguis magna in copia vel a natura ipsa vel per victus plenioris adsumptionem.

Opinio est aliquorum quod sanguis qui in gestantibus observatur, non a matrice pendeat sed ab aliquibus vasis vaginalibus; quoque modo sit, symptomata omnia, quae femina hoc in casu accusat, maxime adnotanda sunt.

Tamen lactantibus menstruatio semper est detrimentosa nisi nutrici, certe infanti; quia lac alibile minus esse debet, dum menstrua continuo fluant.

Feminae ad climatericam aetatem perventae menstrua aut irregulariter vel amplius non emittunt.

Epocha critica est haec feminis; nam cessatio hujus sanguinis evacuationis alterationes nonnullas in toto corpore gignit, vel saepe etiam epocha lethalis est mulieribus.

Transacto tamen hoc puncto absque noxiis aliquae redivivae videntur, et longo tempore fruuntur vita.

Plethorica constitutio, alimenta nimis nutrientia, otium diuturnum, hanc suppressionem accelerant.

SYMPTOMATOLOGIA.

Symptomata nonnulla referam quae in sup-

pressione menstruorum locum habent, et prius illa quae in affectionibus uteri respiciuntur.

I. In inclinatione uteri symptomata sunt sequentia.

a Si ad inferiores partes et externe fit, facile tunc agnoscitur a digito ipso obstetricis, et a signis quae mulier indicare valet.

b Si in latus inclinatur, tunc in ambulatione maxime persentitur difficultas motus, imo contractio, tensio et torpor in pede illo, qui contra est inclinationi.

c Si vero inclinatio locum habeat sursum et anterius, tensio dolorosa in pectine et dysuria aegram adfligunt.

d Si inclinaverit deorsum et retro, stercora cum ventositate exeunt, et mulier sedet cum cum difficultate et dolore.

e Si substantia uteri oblaesa fuerit, certe distinguendum quomodo et quantum nec non locum illius affectionis.

f Si ab ulcere, quod in cavo suo detinentur, dolores aegra persentiet, sanies sangninolenta exibit.

g Si abscessus in utero erit, exibit materia purulenta et majori in copia.

h Fistula si adsit caeca aut perfecta, tunc exibit materies expers sanguine.

Plethora et crassities in feminis non semper omen bonum est, nam saepe symptoma fit alicujus obstructionis, coalescentiae et subsidentiae sanguinis in utero, aut in vasis finitimis, propter malam conformationem illorum vel illius.

Si in utero obstructio est, gravitas in regione maxime hypogastrica, lassitudo in coxis et tibiis persentiuntur.

Cum vasa finitima adficiuntur et propter aliquam obstructionem a materia copiosa viscida valde comprimuntur, tunc phaenomena morbosa exacerbantur.

Tumores aliquando in proximitate uteri oriuntur, comprimunt eum, et functiones ejus perturbant.

Tales tumores esse possunt erysipelacei, oedematosi vel scirrhosi, vel etiam inflammatorii simplices.

1. Erysipelaceus concomitatur a febri intensa et acuta, a gravitate in regione affecta, a doloribus acerbis, ab insigni ardore et a siti intensissima.

2. Oedematosus concomitatur a doloribus obtusioribus, a febri mitiori; tandem symptomata jam superius dicta sed mitigata in scena perstant.

3. Scirrhosus tumor agnoscitur ab obstetrice tangente digito; clausura uteri et durities indicant hoc in casu scirrhositatem, alia symptomata saepe ab aegra ipsa colliguntur ex. gr. persentit dolorem obtusum non continuum, cum sensu aliquando strictionis conjuncto.

4. Inflammatorium tumorem indicant magna copia sanguinis, hac de caussa tumor voluminosus est; febris vehemens; dolor gravativus et pulsans in regione affecta.

Aliqua dixi de vitiorum uteri symptomatibus,

permulta adhuc lectori debeo; sed a bonitate illius veniam peto et ad aliud aliquid dicendam transeo.

II. Febris remittens et diuturna est symptoma in phthisi fere constans; sudor matutino tempore apparet, sputa plus minusque copiosa, aliquando diarrhoea adest; sub istis symptomatibus menstrua silent.

In cachexiis fere omnibus menstrua supprimuntur, et medicus in ipsa facie mulieris et in constitutione poterit saepe legere caussas et symptomata suppressionis menstruorum, quae eam produxerunt; nam color flavo-viridis sic dictum chloroticum in cute crebro adest, conqueritur autem mulier de lassitudine, et quadam totius corporis gravitote, gracilitas imo consumptio corporis patet; aliquando in epochs, in qus prius menstrua fluebant, dolores aliquos persentit in hypogastrio, menstrua tamen non comparent.

Vita feminae cachecticae et menstruis destitutoe miserrima est; sequentia enim phaenomena eam fere semper comitant; nempe dysphoria continua, anorexia, nauseo, conatus ad vomitum, malacia, pica, flatus, borborygmi, cardiopalmus, vertigines, dyspnoea, cephaloeo, lipothymiae, frequentes, subsultus tendinum et praecordiorum, vigiliae, suffocationes, spasmi clonici, syncopes et alia.

III. Feminae temperamento bilioso praeditae cum sanguineo commixto; in suppressione menstruorum istis symptomatibus speciatim laborant;

haec sunt dolores lumborum, colli et syncipitis, qui ad radices oculorum usque extenduntur, cephalaea dira, aliquando febris et delirium, cholica sic dicta catamenialis, convulsiones etc.

Quae autem phlegmatico temperamento gaudent aut melancholico, illis manifestantur sub catameniorum suppressione haec phaenomena, color cutis pallescit, inflatur corpus, oedema iu pedibus aut in labiis exterioribus vulvae, cacochymiae, flatus, anorexia, torpor, pulsus rarus, urinae albidae, dolores in lumbis et partibus finitimis percipiuntur; aliquando tumores oedematosi, steatomatosi, sarcomatosi oriuntur in corporis superficie et etiam in interno; si diuturna fit suppressio, sequitur tunc anasarca vel hydrops ascites, vaginalis et viscerum, tympanitis et alia.

Viragines sic dictae propter nimis firmam corporis constitutionem non gaudent menstruis et corpus illarum hirsutum fit, et barbam vocemque asperam ostendunt.

IV. Sub regimine praeternaturali vitae menstrua facillime supprimuntur; sequentia phaenomena tunc locum habent; in recente: aliqua lassitudo a femina persentitur cum quadam tensione lumborum, adpetitus languet, torpor et inertia in corpore toto adsunt, pulsus modo frequentes, modo lenti sed irregulares manifestantur; femina pallescit et cito rubra fit in facie absque caussa externa, sensus caloris ascendens et descendens cum horrore saepe commixto persentitur; aliquando etiam bulus hystericus adest. Si autem

inveterata est aliquantum suppressio et aliquae caussae etiam externae atmosphaericae ad eam exacerbandam concurrerint, tunc symptomata jam dicta graviora fiunt et illis saepenumero adjiciuntur sequentia; nempe chlorosis, suffocatio hysterica, dyspnoea, cardiopalmus, dyspagia, dysgensia, malacia, pica, anorexia, nausea, vomituritiones et vomitus substantiarum pitoitosarum, cacopragia, bradypepsia, cacochymia, cacochylia, dysphoria, pulsus parvi et debiles, sed quandoque frequentes.

Si morbus diuturnus est tunc in scenam veniunt et pessima symptomata; idest:

Leucorrhoea abundans, consumptio corporis totius, phthisis pulmonalis, vel tumores ad mammas, oedema genitalium et in pedibus leucophegmatia, febris remittens, sudores matutini profusi, vel hysteria, cephalaeae dirae, catalepsis, somnambulatio, delirium et mania; vel pallor cutis maximus fit et ad flavum colorem vergit, tumet venter et hydropicum abdomen evadit tumores aliquando varii per corpus apparent; vel ipse uterus inflammatur, aut abscessus calidus aut frigidus in genitalibus se figit; denique scirrhus et cancer uteri saepe scenam claudunt. In inveterata amenorrhoea variant morbi et symptomata juxta temperamentum et constitutionem individui.

Non semper tamen menstrua per vulvam ex utero exeunt, per omnes partes corporis possunt prodire, et sub forma abundantissimae salivatio-

nia, vel per diaresim, per sudores, per diarrhoeam etc.

Referam hic nonnulla exempla quae nobis jam a numerosissimis practicis, nec non eruditissimis et omni fide dignis relicta fuere.

Et primum Hippocrates asserit se vidisse per haemoptoëm, per emesim, per alvum, per sudorem ex interno oculi cantho et ex variis partibus aliis superficiei totius corporis catamenia exire.

Menses per haemorrhoides aut haemorrhoidibus alternantes vidit Paulin.

Per mammas Hippocrates ipse observavit et suo aphorismo trigesimo nono lib. V. sic dicit « Si mulier, quae nec praegnans est, nec peperit, lac habeat ei menstrua defecerunt. »

Per aures Spindlerus vidit, ex pedibus Bartolinus, per nares Pechlin, Wolfius, Gasserus, Bausebius, Berlingius, Solenandrus, Brassavola et alii.

Ex indice manus Zimmermann, ex ruptura cutis in superficie manuum Schobinger.

Per uberiorem salivationem, per diuresim, sudores et diarrhoeas nobis Freudius se vidisse dicit.

Ex istis exemplis edocti, nunquam desperandum de *vi medicatrici naturae*, et medici nimis properantes ut menses cieant non semper sic agendo recte agunt.

Celeberrimus Joannes Baptista Morgagnius (in suo tractatu de sedibus et causis morborum per

anatomen indicatis, in sua epistola anatomico-medica quadragesima septima, posteaquam facta jam miseranda retulit) sic medicos admonet .... « Non reputant scilicet quam variae et discrepantes caussae esse possint cur illi non fluant, et continuo ad ea decurrunt quae moveant, quasi natura ipse satis paratus esset ad incitatam sanguinem transmittendum. »

« Itaque haud raro vitii caussam augent non tollunt. »

V. Phaenomena nunc jam diximus quae in suppressione menstruorum saepenumero occurrunt, sed in gravidis et lactantibus nec non in feminis ad aetatem sic dictam climatericam pervenientis haec suppressio locum habet.

Videbimus ergo aliquas alterationes in femina, vel ipsa deficientia symptomatum pathologicorum una cum praesentia phaenomenorum physiologicorum nobis indicabunt aliquid de modo agendi.

Graviditas distinguitur a morbosa mensium suppressione sequentibus phaenomenis adjuvantibus.

a Gravidae nativum colorem corporis retinent, si ab alio morbo correptae non sint, vel laborent nimis graviditatis caussa; in utrisque casibus symptomata pathognomonica certe omnia non deerunt, quae morbum illud indicare valeant.

b Gravidae hilares sunt; in suppressione morbosa contra tristes, a moerore et fletu facillime corripiuntur.

c Symptomata incommoda, quae gravidis in prin-

cipio accidere solent, progressu temporis mitescunt; contra vero in suppressione morbosa quo magis et diutius menses accumulantur et subsistunt, eo magis symptomata augentur.

d In tertio graviditatis mense pathognomonica signa, quae eam possunt aliquo modo indicare, in scenam prodeunt. Sic ex. gr. motus atque positio infantis manu ventri admota percipi potest; dum hoc certe non accidit in amenorrhoea retentionis, ubi quandoque percipitur quidam tumor in hypogastrica regione sed nec utero respondit saepe, et tactu oedematosam qualitatem praesefert.

e In amenorrhoicis os uteri non clauditur, et si hoc fit, tunc quadam duritie haec clausura conjungitur, ut affatus est Hippocrates in aphorismo quinquagesimo quarto lib. quinto. »

« Quibus os uteri durum est, his necesse est os uteri clausum esse. »

Ab hac distinctione phaenomenorum agnoscitur crebro, an in femina ab una, seu ab alia caussa suppressio menstruorum dependeat, sed medicus cautissimus esse debet ne hac in re decipiatur, nam sunt aliquae mulieres ex illicito concubitu gravidae factae quae graviditatem negant, ut se pro virginibus venditare illis datum sit: tunc si medicus de aliqua suspiciet, in administratione remediorum parcitatem et simplicitatem ocuet, et methodus expectativa mihi videtur hoc in casu amplectenda.

Lautantes fere omnes mensilem sanguinem

non emittunt; symptomata pathologica ergo hac in casu desunt, dum naturaliter supprimuntur menstrua et praesentia lactis et bona valetudo nutricis conjuncta erunt plerumque effectus hujusce suppressionis.

Cessatio menstruorum in femina ad climatericam aetatem perventa non est morbus, sed effectus, qui in ipsa natura causam invenit.

Hae feminae tamen quae laute et cum voluptate vixerunt aut morbis diuturnis et syphiliticis laborarunt, in hac apocha luunt poenas, aut moriuntur vel a molestissimis symptomatibus et a morbis afficiuntur saepe incurabilibus, ut ex. gr. sunt ulcera sic dicta critica, quae nunquam ad cicatricem veniunt, imo nec illa sananda a medico, quia detrimentum non juvamen aegrae suae laturus esset.

Plethora et cum plethora phaenomena omnia quae eam indicare valent; idest suffocationes, anorexia, torpor, gravitas in corpore, vertigines, cephalaea, pulsus tardi, pleni et aliquando duri, animi deliquium, syncope, apoplexia et mors ipsa.

PROGNOSTICA.

I. Suppressionem menstruorum gravissimum morbum omnes auctores dixerunt.

Hippocrates sic afflatus est (in aphorismo quadragesimo) «Mensibus copiosioribus prodeuntibus, morbi contingunt et non prodeuntibus ab utero fiunt morbi.»

Zimmermann (1), Guilielmus Buchan (2) et alii eam suppressionem, quando a graviditate, a lactatu, a eborea, ab exercitatione nimia et a diaeta prava vel pauca non dependeat, tuno dicunt perniciosam esse feminis et, si haec suppressio effectus aliorum morborum non sit, citissime medendam, et tollendas in primis caussas morbosas, si effectus illa esset.

Variat prognosis juxta caussas, temperamentum individui, constitutionem illius, vitae genus, aetatem, morbos praegressos vel praesentes, clima, anni tempus, diuturnitatem morbi et etiam juxta symptomatum naturam et numerum.

I. Juxta caussas prognosis erit infausta in coalescentia parietum uteri; valde reservata in densitate nimia illius, et eum ad duritiem progressus est.

Si perturbentur catamenia propter compressionem aliquam vel in uterum actam, vel super vasa finitima, tunc prognosis erit reservata, nam aut tollitur caussa, vel non; in primo casu, in felicem vertimus, in secundo certe erit infausta.

A numero et vi caussarum equidem prognosis natura pendet.

II. Temperamentum et constitutio sane con-

---

(1) Della esperienza nella medicina, tomo IV. capo X. pag. 145. (tradur. dal Tedesco.)

(2) Guglielmo Buchan trat. di Medic. domestica trad. dal Franc. Tom. II. Artic III.

siderandae, nam temperamento lymphatico vero etiam constitutio laxissima conjungitur; tali ratione morbus dinturnus fit et per metaschematismum saepenumero incurabilis.

Melancholicum tendit et ipsum ad morbos qui pravas metastases pariunt.

Sanguineum feliciores prognoses medico relinquit, et si morbus recens est nec symptomatibus tam gravibus comitatur, tum prognosis felix erit.

Cholericum vel biliosum, crebro in istis morbis indurationes et scirrhositates, quae in cancrum etiam abeunt, producit. Prognosim ergo dabimus leviter reservatam; sed juxta alia phaenomena modificanda semper erit.

III. Vitae genus ad prognosim firmandam quam maxime inservit, jam diximus quod saltatrices et agrestes saepe menstrua non emittunt et tamen bene se habent, et alias causas nonnullas considerare debemus, nam feminae bona valetudo vel mala, certe saepenumero dependet a cognitione causarum quae malum effectum produxerunt; sed utinam hoc accidisset minus et nunquam medicus falsus a mulierculis non esset....!!

Aetatem autem observabimus, et hic cavendum ne et ipsa opinio nostra fallet nos, nam prognosis non est eadem in omnibus aetatibus largienda.

IV. Clima etiam considerandum; favet enim tepidum et non siccum, et nocent frigidissima

vel calidissima et a siccitate maxima comitata; sic anni tempus influit in sanatione, idcirco et in temperanda prognosi. Ver autumnusque ex. gr. optime juvant, hiems et aestas minus.

V. Diuturnitas morbi prognosim permutat, quo diutius enim menses substiterunt, eo difficilius revocantur, et saepe nunquam revocari possunt.

VI. Morbi praegressi vel praesentes caussae sunt proximae aut remotae suppressionis catameniorum; aegra ab illis sananda vel ab illa indispositione tollenda erit in primis, postea prognosis et cura locum tenebunt.

Hic et passiones et qualitates earum considerare debemus in prognosi, nam amor elusus melancholiam, ut vidimus, producit et alios morbos, qui saepe insanabiles sunt, et continentem suppressionem mensium in femina sistunt.

VII. Numerum et qualitatem phaenomenorum in praenunciando medicus observet; nam quo plura et graviora sunt symptomata eo magis est morbus periculosus, nec desunt exempla deploranda: et nobis Hippocrates, Morgagnius et quam plurimi alii celeberrimi auctores asserunt quod per amenorrhoeam feminae et cito moriuntur.

Prognosis ergo in amenorrhoea est medico res maximi momenti nam crebro per illam fama illius periclitatur.

INDICATIONES.

I. Caussa morbifica continens et aliae quae morbosae fieri possunt cito tollendae.

II. Vires totius organismi aut deprimendae vel stimulandae et instaurandae ut debito modo curae nostrae respondeant.

III. Adhibere debemus medicamina, quae effectus extinguere pravos et bonos producere valeant.

IV. Regimen vitae et diaeta ad eum scopum tendere debent quem nobis praefiximus, videlicet ut menstrua regulariter fluant.

Primae indicationi respondent remedia omnia quae caussas morbi vincere valent; non semper autem radicalem curam et caussarum effectus sanare possumus, nam aut aliqua degeneratio in partibus organismum componentibus orta est, vel morbus pendet ab aliquo animi affectu et nobis semper datum non fuit illum ad sanitatem vertere, dum cura psychica saepenumero insofficiens evadit, ut et pharmaceutica.

Si caussas agnoscere, et tristes illorum effectus tollere possibile esset, tunc simillimi Deo essemus; sed plerumque inscientes, impotes et caecos pro loco nos invenimus.

Secundae indicationi respondent corroborantia, nutrientia, in genere stimulantia, vel contra purgantia eccoprotica, drastica, venae sectiones balnea attenuantia, diaeta parcissima etc.

Tertiae nostrae indicationi medicamina re-

spondebant illa, quae juxta individuum, vitae genus illius, morbos praegressos et praesentes, affectus animi etc. existimabuntur.

Quartae demum indicationi erunt idonea sequentia:

Vitae genus laboriosum vel sedentarium, consortium vel solitudo, balnea vel minus, diaeta opipara vel modica, potus aqueus aut spirituosus, potio fermentata aut non, potatio aromatibus condita vel calida et simplex aut frigida, ut nunc diffusius in therapia omni conatu demonstrare studebimus.

THERAPIA.

Saepenumero suppressio menstruorum pendet (ut in caussis jam diximus) ab aliqua indispositione, vel morbo uteri nec non totius organismi; tunc priusquam haemagoga, alia sunt remedia praescribenda quae morbum sanare vel indispositionem tollere valeant.

Generaliter in cura amenorrhoeae non progrediendum imo nec illa incipienda, antequam absque ullo dubio caussae verae agnoscantur et tollantur.

Si ex. gr. suppressio ab animi affectu dependeat, ut ab ira, metu, moerore etc. animum in primis recreare, sedare, alio deflectere oportet.

Loci mutatio princeps inter pharmaca est remedium hoc in casu; affabilitas, jucunditas et aliae viae sunt adhibendae istius generis erga feminas.

Tamen in suppressione diuturna haec remedia non sufficiunt, et balnea, semicupia, suffitus, injectiones aquae potabilis, vel medicatae cum pharmaco aliquo plerumque aromatico, tunc exhibere debemus.

Fomentationes laxativae et clysteres emollientes crebro maximum levamen afferunt, sic etiam lotiones et stillicidia.

Si insufficientia et haec media essent tunc ad venae sectiones, ad hirudines, ad cucurbitulas ad cauterium et ad setaceum confugiendum erit, adhibitis etiam eodem tempore remediis ipsis haemagogis.

Venae sectio prius in cubitali regione postea in talo pedis fieri debet, sic opinat ipse Aetius (1); Galenus (2) autem saphenam externam vel internam incidere jussit, et plethoricis solummodo cephalicam secandam dicit.

Plurimi medici sequuntur hanc Galeni opinionem sic eam explicantes, si cephalica aperiatur revellitur sanguis ab utero quam revocetur; quod si saphena incidatur tunc veram (dicunt) revulsionem per hunc medium obtinemus.

Buchan (3) opinat venae sectionem instituendam prius in cubito, inde saphenam incidere com-

(1) Aetius tetrabl. 4 ser. 4 caput 57.

(2) Galenus de sang. miss. cap. 11. 18. 19.

(3) Buchan trat. di medicina domestica, trad. dal Francese Tom. IV. artic. III.

*

mendat; et Aetius (ut jam commemoravimus) hanc methodum laudat.

Hanc quaestionem practicis relinquo, et eam decident certe melius quam mihi datum sit. Tempus in quo aperienda erit vena in mensium suppressione aliam quaestionem inter medicos constituit. Galenus (1) scribit commodissimum tempus mittendi sanguinis in mensium suppressione esse, tribus vel quatuor diebus ante consuetum purgationis tempus, eo de caussa quia tunc in corpore sanguini motus conciliator, et promovetur hoc remedio naturae impetus.

Paulus Aegineta (2) dicit quod ante tempus praefixum menstruationis unquam vena secanda est, sed post decem dies circiter, nisi comparuerit menstruus, tunc saphena aperienda erit.

Et hanc quaestionem praxis medicorum fere inutilem demonstravit; etenim si amenorrhoicam curare incipiunt, multi venam secant quandocumque et felici cum exitu.

Mea opinio tamen cum illa Aeginetae coincidit, sed est candidatus qui loquatur et a praxi certe longa confirmata non fuit sententia illius.

Hirudines prope vulvam adplicandae, ut tali ratione absorbeatur sanguis quasi stagnans illic, et mechanico modo irritando et exsugendo sanguinem melioris qualitatis derivent.

Cucurbitulae etiam sunt proponendae ut et

(1) Galenus lib. de curandi rat. per venae sect. cap. 18.
(2) Paulus Aegineta lib. 3 art. medic. cap. 61.

ipsae irritando, humores derivent; haec ponuntur in inguinalibus.

Eodem scopo setacea ordinantur ad coxas, nec non cauteria.

Aliqua diximus de cura psychica et de chirurgica nunc ad pharmaceuticam transeamus.

Praeter jam dicta balnea medicata, suffitus, lotiones, injectiones etc. oportet aegram praeparare saepe purgantium ope. Inter purgantia aloë, rheum chinense, cremor tartari, et pro potione decoctum graminis bene respondent.

Ferrum et illius praeparata adhibita fuere cum sabina et estracto rhei sub forma pilulari et bonum effectum plerumque produxere.

Joannes Bapt. Morgagnius sic ait (1).

« Nubilem ego Medicum novi qui ad cienda menstrua uti consueverat chalybis suobe, mixta cum massa pilularum de aloë et de ammoniaco, et concreto cichoreae succo, addito insuper, cum remedii vim augendam censeret, pauxillo dictami cretici, mirrhae et croci: ex quibus confectas pilulas quotidie dabat fere binas ante parcam caenam, mane autem jusculum herbis et radicibus medicatum quae emolliendi, et quae aperiendi facultatem haberent: hisque auxiliis ferme semper sui voti compotem se factum ajebat modo apta simul servata esset vivendi norma. »

(1) Joannes Bapt Morgagni de sedibus et causis morborum per anatomen indicatis. lib. III de morbis ventris, Epist. Anat. Med. XLII. artic. 5. pag. 219.

Accidit suppressio menstruorum ob animi et corporis relaxationem, tunc oportet in primis vias digerentes instaurare; ut digestio perficiatur regulariter aromatica et adstringentia hic sunt praebenda.

Inter amaricantia et aromatica sunt adnotandae: artemisia vulgaris, artemisia absinthium, artemisia rupestris: cum foliis istarum praeparatur infusum, in menstruo vinoso, vel alcoholico, aut aqueo, et ante prandium sumitur in quantitate drachmae unius.

Infusum commendat Buchan, a cortice cinchonae magnifoliae vel rohrae cum vino confectum.

Regimen vitae et diaeta sunt observanda.

Exercitium moderatum, somnos non procrastinatus, animi quies et jocunditas, temperatura aëris mitis, diaeta utilis, non copiosa, potus vinosos quam aquosus, aromata etiam ut cinnamomum, coriandrum sativum et alia.

Inde transeundum erit, si oportebit, ad praeparata ferri. Scobs chalybis infunditur vino aut cerevisia per aliquot dies, et sic obtinetur potus utilissimus in soppressione menstruorum; istius generis Buchan (1) hanc formulam proponit.

R. Limaturae Martis unc. tres
 Vini meri libras quatuor
 Infunde in loco calido per tres hebdomadas et filtra D. S.

L'ammalata ne berrà un bicchierino in circa due volte al giorno.

(1) Buchan Medicina domestica, trad. dal Franc. del Duplanil Tom. IV. Artic. III. pag. 100.

Feminae alicujus temperamenti et constitutionis per exemplum minus biliosae, vel ad plethoram vergentes, vel lymphaticae, aut melancholia continuo laborantes, catamenia non emittant, tunc medicus confugere debet ad ea, quae apta singuli casus illi videntur; et nunc breviter exponam aliquid omnibus casibus aptatum. Biliosae primum diaetam parcam servare debent et a caussis omnibus iram excitantibus abstinere; inde in balneo frequenter se demergere, et de suffitibus abuti; si haec presidia non juvant sequentia pharmaca ab auctoribus indicata sunt, nempe sabina, castoreum, praeparata ferri cum extractibus aloës, taraxaci, rhei chinensis. Decoctum graminis exhibeatur pro quotidiano potu.

Cura chirurgica in hoc casu erit:

Venae sectio et hirudines ad labia majora vulvae. Pessum non semper adhibendum; in virginibus ex. gr. unquam, neque in excitabilissimis.

Plethoricis autem commendatur quam maxime motus. Venae sectionem necessariam se vidisse Galenus dicit; dum ex muliere non plethorica sed emaciata, tribus vicibus tres libras sanguinis extraxit.

Paulus Aegineta equidem neque minus una libra nec plus duabus libris cum dimidia mittendum censet. Ita enim nec vires nimium deficiant, et sanguinis fluxus ad uterum rectius concitatur.

Diaeta parca et potus abundantes sunt adhibendi.

Suffitus cum cinnamomo et caryophyllis, vel sabina compositus, et pro partibus genitalibus exhibendus valdopere juvat.

Ex limatura ferri autem cum rhei extracto et aloë parantur pilulae, quas multi practici laudant istis in casibus.

Ubi autem suppressio a phlegmatico temperamento dependeat, tunc sequentem modum agendi multi commendant.

Exhibent vomitoria, sicuti sunt tartarus emeticus, ipecacuanha, radix violae tricoloris et alia, ut hoc modo exeant phlegmae in ventriculo contentae.

Inde antequam fluxus instet, purgantia eccoprotica et drastica etiam aliquando exhibent.

Si per emesim et catharsim juvamen non obtentum fuit, et pulsus parvi, frequentes, irregulares sint; corpus in torpore faciliter cadat, vires languidae et appetitus prostratus sit, tunc proponuntur decocta amaricantia, diaeta substantiosa et aromatibus condita sed pauca in quantitate, et eodem tempore juvant pilulae confectae a carbonate ferri, a pulvere foliorum juniperi sabinae cum extracto rhei et taraxaci.

Convenit hoc in casu et illa infusio a Buchan commendata, et a nobis superius relata.

Crocum, myrrham, moschum, asam foetidam, cum gentianae luteae extracto alii practici commendant. Juvant etiam rubia tinctoria, helleborus viridis, marrubium vulgare, gummi galbanum et ammoniaca.

Cum secale cornuto, cum extracto sabinae et taraxaci, et cum sapone medicinali pilulae conficiunt haemagogas.

Varia decocta et infusiones parantur, nec non vina medicata, syrupi, rotulae etc. ex radicibus apii petroselini, foeniculi, ab artemisia betonica etc.

Vina medicata ut diximus a limatura martia et vino mero componuntur, alii adjungant his componentibus rhaponticum rosmarinum, cinnamomum, caryophylli clavos et alia aromata; tamen casus non deficiunt in quibus medicus ad venae sectionem et ad hirudines confugere debet, quamvis diaeta, medicamina et adspectus aegrae sanguinis emissionem non indicare videantur ....!

In melancholico temperamento praeparatur corpus purgantibus, et in primis rheum chinense aloë soccotorina, senna et manna electa commendantur.

Decocta amaricantia, quae conficiuntur ex radice gentianae luteae, ex foliis salviae et aliis.

Tinctura absinthii alcoholica vel aquosa est in hoc casu etiam indicata.

Sed priusquam ad haemagoga transeamus, debet animus aegrae solutus omnibus curis et moeroribus esse, aliter frustra laboraverimus, imo in damnum ipsius valetudinariae.

Cum jucunda et hilaris nobis comparaat aegra tunc exhibendae erunt pilulae vel decocta, aut vina praeparata, quae superius diximus, et hirudines ad anum vel ad vulvam hoc in casu quamplurimi commendant.

Suffitus, lotiones et balnea non obliviscenda, sic et motus prolongatus, conversatio laetissima, aër purus, diaeta saporitissima, potus exhilarantes, equitatio, iter facere, amor felix, possessio viri dilectissimi, et aliae voluptates, ut coitus et jucunditates animi sanant saepenumero feminas melancholicas et amenorrhoicas.

Et jam dicta remedia sunt exhibenda videlicet praeparata martialia, sub forma pilularum cum extracto rhei, aloës et sabinae confectarum.

Venae sectio propinatur etiam hoc in casu ab ipso Galeno (1) dum asserit se mulieri emaciatae extraxisse tribus vicibus tres sanguinis libras et hujus auxilii beneficio eam liberasse a diuturna mensium suppressione.

Strictiones, cucurbitulae, setacea, cauteria, et alia media cruenta, quae therapia chirurgica nobis porrigit, non semper in praxi privata certe medico favent, illis tamen virtus peculiaris erit revera non neganda, dum quamplures auctores antiqui et minus nobis illa commendant. Buchan (2) commendat usum cucurbitularum ad coxas, maxime in suppressione menstruorum ab aliquo affectu animi producta.

Joan. Bapt. Monteggia (3) cauteria commendat

(1) Galenus 6 Epid. com 5, 29.

(2) Buchan de medic. domest. Tom. IV. art. III. (trad. dal Franc.)

(3) Istituzioni chirurgiche di G. Batt. Monteggia Vol. VIII. cap, XVI. §. 345.

in suppressione menstruorum ad crura et coxas.

Ambrosius Paraeus (1) pessa laudat cum melle et pulvere scammonii et pyretbri parata; sed prius jam diximus quod in virginibus non sunt utenda.

In libro de morbis mnliebribus Albertini Bottoni philosophi ac medici (2) landantur cucurbitulae soarificatae vel non, frictiones et ligaturae nec non cauteria; in capite autem trigesimo octavo pessa, clysteres, lutiones, fomenta, suffitus et alia topica remedia commendant.

Mercurialis (3) asserit se multiplici experientia didicisse cauteria infra genua posita suppressos menses revocare.

Quamvis experientia borum auctorum et etiam recentium quorundam pessa, frictiones, cucurbitulas, cauteria, setacea, moxam, scarificationes et alia media chirurgica validissima demonstrare valeat, in menstruorum suppressione; tamen plurimi medici saepe ab illis jure merito aufugiunt, nam aut incongrua virginibus verecundis, aut antipathica et naturae feminae repugnantia jugiter experti sunt.

---

(1) Ambrosii Parsei, de hominis generatione liber de ciendis mensibus cap. LIII.

(2) Albertini Bottoni philosophi ac medici de morbis muliebribus liber unus, capita 30, 31, 32, 34, 38.

(3) Mercurialis tom. 2. consilium 4 et 26. cap. I. de morb. mulieb.

Tandem cavendum medico in therapia amenorrhoeae ne aliqua membrana, vel callus orificium uteri occludant et currentibus menstruis viam obstruant; si a symptomatibus hoc patefecisset tunc ferrum chirurgicum occessarissimum redditur; nec in curatione progrediendum erit priusquam impedimentum illud non tollatur.

Dissertationi meae terminum hic pono confitendo quod majora et meliora jam dicta fuere et dici possunt; sed munus meum exequi solummodo volui nec unquam putavi me tanti, ut in meis imperfectis cognitionibus, quas vobis breviter nunc exposui, veram utilitatem et optatam dulcedinem vos inventuri essetis.

THESES DEFENDENDÆ

I. Sanguis thesaurus vitae.

II. In hydropicis si ulcera appareant, difficillime sanantur.

III. Fama Medici a prognostico pendet.

IV. Tumores duri infaustissimi sunt.

V. Nicotiana tabacum, hactenus, plus necavit quam sanavit.

VI. Crassi longam vitam non ducunt; graciliores potius ad senectutem perveniunt.

VII. Sub animi affectionibus corpus saepenumero impinguatur.

VIII. In pleuritide et pneumonitide calomelas miranda gignit.

IX. Hymen non semper in virginibus adest; nec illius praesentia certum est signum virginitatis.